

defensore hac Confessio contra portas inferorum
inuieta manebit in aeternum. Sed quid fit? Pon-
tificij, & in primis Campegius, atq; in aula Im-
peratoris aliqui non infimi, fremere incipiunt, ani-
maduertentes praesertim, tam dilucida doctrinae
vera expositione animos Principum, & ipsius
Imperatoris, doceri, leniri, flecti. Imperator
enim etsi seuerum se tandem exhibuit, & in-
stigantibus eum Pontificijs Romanae sedis prae-
minentiam conseruare studuit viribus omnibus,
tamen ex praelectione Confessionis cepit altius res
ipsas considerare, & doctrinam de Iustificatione
hominis coram Deo ibidem explanatam ita pe-
ctori suo postea infixit, ut & in tota vita saepissime
illam predicaret, & in eiusdem confessione vitam
quoq; temporalem placide finierit. Clamitant au-
tem Campegius Cardinalis & ceteri, Imperatorem
vel regna omnia sua in discrimen conycere para-
rum esse potius, quam Confessionis progressum fe-
rat. Et postridie, cum synedrion Pontificium con-
gregatum esset, accersitur Philippus, qui animo
infracto ad eos ingreditur, videt ibi se circumsep-
tum illo gyro dentium satanae, & ut Ionas Pro-
pheta solus intra costas beluae marinae quassatur.
Instat Campegius, & horrenda fulmina iratissimi
& saeuissimi Iouis sui vibrat, ceteri tot regnorum
potentiam & vires contra nostrum heu miserum
& exiguum imbecillum Christi ouicularum gre-
gem minaciter intentant. Poterat ibi etiam Vir
fortis & constans commoueri. Interrogatus igitur
Philippus